

P V I S

1 6 1 8

- |  |  |
|--|--|
| <p>Conradi Rittershusii Paraphrasis Psalmi XC nuptiis dicitur.</p> <p>II. Berzmani paraphrasis Psalmi 121. 91. 125. 124.</p> <p>III. Berzmani paraphrasis Psalmorum 22. 16. 09.</p> <p>IV. Berzmani paraphrasis Psalmi 08.</p> <p>I. Berzmani Epipemphion Psalmorum 91. 97.</p> <p>VI. Berzmani Psalmi 104. 0. 19.</p> <p>VII. Poletani Paraphrasis Prometei Iona.</p> <p>VIII. Mundorpii paraphrasis Iona.</p> <p>IX. M. Iacobi Gregorii Iona.</p> <p>X. Joannis Fabri de Nativitate Christi.</p> <p>XI. M. Theodori de Nativitate Christi.</p> <p>XII. Waltzeri Oda de Redemptionis Opere.</p> <p>XIII. Oritii de Peccatu Christi ad Inferos.</p> <p>XIV. Pomauii Heptas simulane Resurrectionis.</p> <p>XV. Stentorii ubi impudentissimis.</p> <p>XVI. Trautmanni instructio p. vero Lutherano.</p> <p>XVII. Bratorii Epistola Germaniae ad Electores.</p> <p>XVIII. Moiti ex Auma ad Christianum Pr. Abbat.</p> <p>XIX. De reb. gestis Johannis Ernesti Pr. Abbat.</p> <p>XX. Henna ab Eichen ad Maunicium Pr. Episc.</p> <p>XXI. Abrahami Cremeri ad Electorem Brand.</p> <p>XXII. M. Imbingeri Statulatio in Natalem Rudolphi Principis Anhaltini.</p> <p>XXIII. Moiti in Nuptias Rudolphi Pr. Pr.</p> <p>XXIV. Berzmani Ecloga Rudolphus.</p> <p>XXV. Bromii Nuptiis raris Rudolphi Pr.</p> <p>XXVI. Wrsini et M. Jeno Nuptiis eiusdem.</p> <p>XXVII. Parentalia Augusto Electori a D. Maiore Sabita.</p> | <p>XXVIII. Epistola Johanni Ernesto Pr. Pr. Anhaltino v. Alberto Voite dictus.</p> <p>XXIX. Fentzeii in obitum Eiusdem Principis.</p> <p>XXX. Angeli ad Baronem de W. Pr. Pr.</p> <p>XXXI. Memoriae Damolii Diepholdii.</p> <p>XXXII. Abrahami Cremeri de promotione ad Pr. Pr.</p> <p>XXXIII. Propemptica Fyffelio et Cremeri dicta.</p> <p>XXXIV. M. Victori, cum renunciaretq. Rector.</p> <p>XXXV. Oda Sapphica in Doctores Honoratus Fyffelii &amp;.</p> <p>XXXVI. In Magisterii Honore Joh. Cr. Pr. Pr.</p> <p>XXXVII. Merzmanni in honorem Magisterii Coppenii XX juvenum.</p> <p>XXXVIII. M. Krotzii in Magisterium Haberlandi.</p> <p>XXXIX. In Magisterium Coppenii Bethmanni Herdesiani. Christiani Vopleri. Abrahami Theopoldii.</p> <p>XL. M. Coppenii Gratiam. Pr. Pr. Pr. Pr.</p> <p>XLI. De dignitate Consulari Trevesi.</p> <p>XLII. De dignitate Notariatus Gelami.</p> <p>XLIII. Apocryphorum Politicorum sigula.</p> <p>XLIV. Nuptiis Petri a Jena.</p> <p>XLV. M. Pucneri.</p> <p>XLVI. M. Richardi.</p> <p>L. Wolfgangi Hanen.</p> |
|--|--|

Ec. 11

<sup>CHUR</sup>  
ELEGIA  
IN

107  
108  
OBITUM REVERENDI, CLA-  
RISSIMI, DOCTISSIMI, DEQUE  
ECCLESIA OPTIME MERITI VIRI,

Dn. M. WOLFGANGI

AMLINGI, SS. THEOLOGICÆ  
PROFESSORIS CELEBERRIMI,

VERBI DIVINI APUD SERVESTANOS

Interpretis fidelissimi, totiusq; Dioceseos

Anhaltinæ Inspectoris vigilantissimi,

*Qui in Christo Jesu placidissimè obdormiuit  
Servesta, die XIX. Maij, horâ vesp. 5. Anno*

*reparate Salutis 1606. cum vixisset annos*

*LXV. sepultus XXI. Maij, in ma-*

*gno Servestanorum cœmeterio,*

Publici luctûs, & privatæ observantiæ causâ,

SCRIPTA à

M. IOANNE CRAME-

RO, SERVESTANO ANHAL-

TINO, J. U. St.

HAIDELBERGÆ,

TYPIS Iohannis Lancelloti,

Academia Typographi.

Die III. Iulij

Anno HoDie si MIHI, Cras tibi.

*Humanitas. et dot.  
uero Dn. M. Pet.  
Johann. v. d. S. v. d. S.  
Rectori, amico suo  
meo offert aucto.*

EPIGRAMMA

AD

CLARISSIMUM ET CONSUL-  
TISIMUM VIRUM, Dn. WOLFGANGUM AM-  
LINGUM J. U. D. & Illustris Gymnasij Sereftani  
Professorem dignissimum, Dn. M. Wolfgangi  
Amlingi P. M. Filium dilectiss. Præcepto-  
rem, & Patronum suum summè co-  
lendum.

**T**RISTIS ABRAHAMI IZCHACUS funera flevit,  
Fleuit IZCHACI funera mœsta IACOB.  
Fleuit, & ingemuit SALOMON, convexa DAVIDEM  
Cum DEUS ex Mundo ferret ad astra Poli.  
Sic quoq; Iure tui, IURIS DOCTISSIME, mortem  
Heu! PATRIS, æquandi PATRIBUS hisce, doles.  
Nam quis, quæso, Viri luctus ex funere tanti  
Non capiat? quis non fletibus ora riget?  
Verùm pone modum lacrymis; fer dura modestè:  
Facq; placere tibi, quæ placuère DEO.  
Noxia nullus homo, quicumq; ubicunq; moretur,  
Indomitæ Mortis tela cavere potest.  
Et licet in terris ageret quis NESTORIS annos,  
Vinceret aut decies secula MATHUSALÆ;  
Se tamen horrendæ Morti submitteret, & ceu  
Debita vermiculis massa, periret humo.  
Luctibus ergo modum, finemq; impone querelis:  
Nil prodest luctus; nilq; querela juvat.  
Accipe TRISTITIÆ placido quoq; symbola vultu,  
Quâ perfusa simul nostra Camœna fuit.  
Carmina quæ PATRI, VATI quæ carmina nostro  
Pro meritis dedimus, consule quæso boni.  
Vive, valeq; diu carâ cum Coniuge; caris  
Cum Natis; SORABUM cum grege VIVE, VALE.

Myrtilleti ex Museo nostro

A. D. Kal. Julij

ANNO

In Deo CVRAM repone.



ELEGIA.

**E**RGO DEI Vates, Vates sanctissimus ergo  
 Occidit AMLINGUS, Gloria magna virum?  
 Sic est; sic inter Vates celeberrimus omnes,  
 Sic pius INSPECTOR mortuus ante diem.  
 Occidit heu! Pater: heu! PATRIÆ PATER occidit ipse;  
 Occidit heu! nostræ LUXQ;, Decusq; scholæ.  
 Occidit heu! nostrum PASTORVM GLORIA; nostræ  
 SERVESTAE cecidit Spes, Honor, atque Salus.  
**H**VNC Musæ deflete Virum, deflete Patronum;  
 Lugeat hunc Clarij Præses Apollo Chori.  
 Curia, Tempa, Scholæ plorent: dent carmina Vati,  
 Dona suprema, suo Curia, Templâ, Scholæ.  
 Vrbs SERVESTA dole: lacrymarum fundere rivos,  
 Ac gemitus imo ducere corde decet;  
 Et priscâ deflere tuum Virtute, Fideque,  
 Diuino Ingenio, canitieque Senem.  
 Tu quoque magna Domus, nomen quæ ducis ab VRSO,  
 Pectora luctifico plena dolore geres.  
 Munera defuncto mittes feralia Vati,  
 Deq; tuis lacrymis humida gerta dabis.  
**I**LLE Hominum, Diuumq; AMLINGVS Gloria, verâ  
 Ad cæli docuit regna beata viam.

A 2

Ille

Ille Iuuentuti studiosæ dogmata **CHRISTI**  
 Explicuit summâ Dexteritate, Fide.  
 Ille **PAPÆ** Pectus; verus **LVPVS**, atque Venenum  
 His, quibus est **CHRISTI** corpus **VBIQVE**, fuit.  
 Ille suis scriptis factum tectumque **IEHOVÆ**  
 Seruauit veræ Relligionis opus.  
 Quis nunc **TUTOR** erit? quis nunc erit **ALTER** ab illo?  
 Nullus, **VDALRICVS** nî modò **CASPAR** erit.  
 Heu dolor! heu luctus! quantum Mors inuida Lumen  
 Falce suâ nobis abstulit ante diem.  
**AMLINGVS** super Euxinum, super Æthera notus,  
 Secla senis Pylij vincere dignus erat.  
 Dignus erat nunquam deleri Morte; sed instar  
 Cœlestum semper uiuere dignus erat.  
 Hoc Amor, hoc Honor, hoc Pietas, hoc cognita Virtus;  
 Hoc scripta, & sacrae promeruere preces.  
 Ast Honor, ast Pietas, Doctrina, Modestia, Candor  
 Nil potuere: sacrae nil valuere preces.  
 Pallida **MORS** hominum misereri nescia vitæ,  
 Cum varijs morbis, omnibus æqua venit.  
 Omnibus æqua venit; non Gentis stemmata curat,  
 Nec curat gazas; omnibus æqua venit. ✱  
 Omnibus æqua uenit; nil prodest Forma, Pudorq;  
 Nil Pietas prodest; omnibus æqua venit.  
 Nec bona, nec mala verba valent; non parcat Honori,  
 Nec valet **ARS**, neque **MARS**, omnibus æqua venit.  
**V**Nde autem tanta est vis? tanta potentia? tantum  
 Vnde est imperium Mors truculenta tuum?  
 Cur mortale genus nullo discrimine tollis?  
 Cur nulli parcens, Falx tua quenque secat?

In

5

In promptu causa est: Hoc noster fecit ADAMVS,  
De vetitâ carpens arbore poma manu,  
Contra supremi mandata diserta Tonantis,  
Humano generi quæ violare nefas.  
Hinc mox terribilis uenit fors anxia Mortis;  
Hinc in non Hominem uertitur omnis Homo.  
Non tamen atra prius, quàm sit diuina VOLUNTAS,  
Mors homines miseros falce necare potest.  
**E**RGO ubi Mors terras AMLINGUM linquere vellet,  
Ad PARCAS properans, talia fata fuit:  
Festinate DEÆ rogo, festinate SORORES;  
Adq; DEI mecum limina ferte pedes.  
Est mihi namque Senex, vobis bene notus, in Vrbe  
Qui SORABUM, docuit Mystica sacra diu.  
Hunc, sacra supplicibus veneremur Numina votis,  
Dent manibus vestris, dent manibusq; meis.  
Haud mora: Concordes dicto parere parabant,  
Ad nutum comitis mox abiêre sui.  
Mors Monstrum informe, horrendum, cum falce præibat:  
Ponè sequebatur commemorata Trias.  
Postquam peruentum fuit Omnipotentis in Aulam,  
His supplex IOVÆ Mors iacet ante pedes:  
Summe DEUS; rerum Genitor: Rex maxime Regum:  
Qui regis imperio cuncta creata tuo.  
Quiq; perire sinens viuentum corpora, dicis:  
JTE, REDITE: Patres ite; redite Sati.  
Multos esse vides plenos ætatis in Vrbe  
SERVESTA, sanctè quæ tua iussa colit.  
Ex quibus AMLINGUS soniturus dogmata CHRISTI,  
Pulpita vix pedibus scandere sacra potest.

A 3

Hunc

Hunc precor, hunc Parcæ, mecum quas illius ergo  
Adduxi, rogitant, falx mea dira metat.

Tempus enim, vitæ ipsius quod Fata dederunt,  
Finem, quem monstrat clepsydra nostra, capit.

Ipsæ licet populi magnus sit Fautor, & Autor;

Et GRAVITATE potens; & PIETATE grauis:

Est tamen HVMANO tibi natus semine, natus

Sanguine; & innumeris PERDITA massa modis,

Quòd rerum, taceo, NATURA requirat, vt omne

Intereat, quicquid Vesper & Ortus habet.

Immò lethiferi nostri quòd vulneris vllum

Ivs neget expertem; IUSTITIÆ q; Decor.

Nam sacra IUSTITIÆ Diuinæ norma requirit,

Vt reares pœnas criminis ipsa luat.

Sic meâ sic primo Mundi nascentis ab ortu

Qui vixit, passus noxia tela fuit.

Sic quoque primus Homo, primus Peccator ADAMVS;

Sic meâ quid possint spicula, sensit ARON.

Sic SAMVEL, DAVID, SALOMON sanctiq; PROPHETÆ;

Sic omnes SERVI sic periêre tui.

Da precor ergo, iterumq; iterumq; precabor, & ipse

Incidat in casses, præda petita, meos.

Effice, ne rapiant venti meâ Vota; sed illud

Pondus habere sinas, quod tua Fata VOLVNT.

**H**IS dictis; intrant VIRTVTVM turba, FIDES q;

Justificans sanctâ cum PIETATE Polum.

Ex quibus Alma FIDES Pater, inquit, Maxime; semper

Quòd rata sint, CREDO, vota precesque meâ.

Est mihi namque tuum certissima Regula Verbum,

Quod populo CHRISTVS tradidit ipse suo.

Quodque

Quodque meis pedibus, tanquam **LVCERNA**, refulget;  
 Ne quis in ambiguum me trahat error iter.  
 Et licet haud oculis hominum cernatur apertis:  
 Corde tamen **CREDO**, quod sacra Scripta docent.  
 Nempe quod, in **CHRISTVM** qui **CREDIT**, & ore fatetur,  
 Esse **REDEMPTOREM**, **IUSTITIAM** que suam;  
 Crimine non pereat; sed terque, quaterque Beatus,  
 Cum Superum **VIVAT** tempus in omne Choro.  
 Firmiter hæc credens **AMLINGVS** pectore, morbo  
 Qui grauiore jacet, me tibi mittit humo.  
 Hæcque iubet memorare, suæ quod **CHRISTVS IESVS**  
 Vnica sit vitæ Spes, Via, Vita, Salus.  
 Omnia terrarum mauult bona linquere: **CHRISTI**  
 Quam Facie, & suavi Voce carere tuâ.  
 Non Genus, aut Proavos jactat: non scripta, nec Artes;  
 Nomina quæ Digni laude perire vetant.  
 Et quamuis animo tribuit sua dona paterno  
 Pauperibus pueris; pauperibusque viris:  
 Tempa, Scholasque simul iuuat; bene rexit, & auxit  
 Numinis auxilio, consilioque suo:  
 Non tamen hisce putat cœli se posse mereri  
 Gaudia, & Elysæ regna beata plagæ.  
 Cuncta sed ascribit Diuinæ **GRATIÆ**, & omnem  
 Collocat in **CHRISTO** Spemque, Fidemque suam.  
 Hunc **PATER** ergo, precor, tua si fert sancta **VOLVNTAS**,  
 Digneris tecum perpete **LVC E** frui.  
 Hunc precor, hunc subito (sibi enim nihil amplius optat)  
 Ex Mundi tenebris in tua Regna feras.  
 Da simul, in tenues Animam cum fuderit auras,  
 Vulnera ne tetricæ sentiat vlla Necis.

TUNC

8

**T**VNC Pater Omnipotens, haud passus plura petentē,  
 Sicea sunt, inquit, quæ modò fare FIDES.  
 Semper enim mea Verba manent, Decretaque: semper  
 Is vitam, CHRISTO qui bene FIDIT, habet.  
 Ergo meo Seruo FIDO, FIDISSIMA cuius  
 Nuntia sis, nostrâ detur in Arce locus.  
 Detur in Arce locus summus, cum MOSE beatum,  
 Cum PATRIBVS q̄; pijs augeat ipse Gregem.  
 Sic tua nunc etiam rata sint Mors vota: sed illâ  
 Lege, Senem ferias absque Dolore, Volo.  
 Hoc etenim facilis patitur CLEMENTIA: verùm  
 Illud deposcit nostra Seuera THEMIS.  
 Tu verò GABRIEL noster FIDISSIME Serue,  
 Cum reliquâ AMLINGVM tolle cohorte tuâ;  
 Duc age, duc ad nos: Fas illi limina nostra  
 Tangere, & astriferæ regna tenere Domûs.  
**V**IX ea fatus erat; læti simul ocyus omnes  
 Imperio parent, & pia iussâ parant.  
 Iamq̄; domum subeunt; fit clamor, plangor, & angor:  
 Pectora Cognati plena dolore gerunt.  
 MORS mala falce minans iterum præcurrit, & ægri  
 Horrificis verbis occupat hisce torum:  
 Heus miserande Senex! Mundum Vitamq̄; relinquant!  
 • Nam mea dira tuum falx caput (ecce!) petat.  
 Falce perito meâ: Nolensq̄; Volensq̄; perito:  
 Calce perito meâ: Falce perito meâ.  
 Nec tibi, quòd causeris, erit: Non Nomina curo;  
 Nec vitam sanctam cum Pietate tuam.  
 Nil Artem, Martem specto: Nil verba nec herba,  
 Nec Crassi, & Cræsi fulua talenta iuuant.

Tros.

9

Tros, Rutulusq; fuit, NULLVM DISCRIMEN HABETVR:  
Falx mea quenque ferit: Calx mea quenque terit.  
Rumpite nunc Parcæ, nunc rumpite fila Sorores:  
Nunc Senium nunc nunc falce necabo meâ.  
Ille sed obstupuit prius, & vox faucibus hæsit:  
Frigidus in toto corpore terror erat.  
(Talis enim Monstri faciem, vocemque quis vnquam  
Absque timore ferat? absque tremore ferat?)  
Mox, veniente FIDE, mœstum quæ lumine VERBI  
Cor reficit, plenâ talia voce refert:  
Quid fera MORS sæuis? Tibi quid mea profuit hisce  
Terrificasse minis pectora? Tolle minas.  
Non TIBI, sed CHRISTO viuo, moriorq;: SILONI  
Mortuus & viuus sum, maneoque meo.  
Mors Mortis Morti Mortem Mors Morte redemit:  
Hoc quia CREDO, tuâ nil mihi falce nocet.  
Nam licet humani spolies me CORPORIS vsu:  
MENS tamen, vnde venit, fertur ad astra Poli.  
Quam DEVS Omnipotens iterum cum corpore iunget,  
Vltima quando suum clausurit hora diem.  
Vt sanctos inter Patres, sanctosq; Prophetas,  
Cum Superum capiat gaudia læta choro.  
Qualia nemo oculis vnquam, nemo auribus hausit;  
Qualia nemo suâ fingere mente potest.  
Quorsum igitur fallax tua spes? tua gloria? Quorsum  
Ira, minæque truces Mors inimica tuæ?  
Perdere mène putas tua vulnera? Falleris. Isti,  
Qui DOMINO fident, nil tua tela nocent.  
Quare age MVSA vale: cari que valet PRŒPINCIVS:  
Vos quoque OVES, CHRISTI Turba, valet meâ.  
B                   CHRISTE

CHRISTE veni: Seruum me respice: CHRISTE RE-  
(DEMP TOR

In tua nunc ANIMAM brachia pono meam.

Hanc cape CHRISTE precor: precor hanc cape CHRI-  
(STE REDEMP TOR:

Et mea fac tumulo molliter ossa cubent.

Dixerat: Heu! tetricæ rumpunt mox stamina PARCÆ:

Falce pij, heu! corpus Mors ferit atra Senis.

Sed chorus Angelicus claro demissus Olympo,

Excipiunt socium cum GABRIELE nouum.

Huncq; suis alis liquidum trans Æthera vecti,

Ad superæ referunt aurea tectâ Domûs.

Lætus vbi æternum peragit feliciter æuum;

Ac fuitur Facie, Colloquioq; DEI.

Sic abit AMLINGVS; sic scandit in Æthera; factus

Gloria magna SOLI: Gloria magna POLI.

ERG O licet meritò feriamus pectora palmis;

Imber & ex oculis nocte dieq; cadat:

Numina quòd tantum nobis Fatalia PARCÆ

Abstulerint Mystam (proh dolor!) ante diem:

Nos tamen hæc animo decet aspera ferre modesto;

Idque probare simul, quod probat ipse DEV S.

Quin potius CHRISTVM lacrymis, & voce precemur,

Vt maneat populi Portus, & Aura sui.

Excitet, ac seruet Templiq; Scholæq; ministros,

Qui sacra verba sonant, litterulasq; docent.

Ne pereant Artes: pereat ne Turba piorum:

Ne pereat veræ Relligionis opus.

Interea PATRI REVERENDO corde precamur

Hanc sortem, vitam, lætitiâq; nouam.


Nulla

Nulla etenim P A T R I B V S melior fors, vitaq; nulla,  
 Quâ fruitur noster Myſta, Paterque, datur.  
 Hîc multos C H R I S T I docuit ſacra dogmata; toti  
 Monſtrat ibi cœlo Myſtica ſacra D E I.  
 Calluit hîc linguas, varias hîc calluit Artes;  
 Cuncta ibi cognoſcit, cunctaq; ritè poteſt.  
 Laudibus, & ſummo fuit hîc cumulatus Honore;  
 Vincit H O N O R I S ibi Dia C O R O N A caput.  
 Multas hîc habuit gazas, ædesq; ſuperbas;  
 Semper ibi felix cœlica Regna tenet.  
 O te felicem! quater ô te, A M L I N C E, Beatum!  
 Gratia quem D O M I N I pro Pietate beat.  
 Nunc penitus V I V I S: recolent te ſecula ſera:  
 Sera tuum Soboles nomen in ore feret.  
 Salve igitur Vates: Vates C L A R I S S I M E ſalve:  
 Salve cœlicolûm G L O R I A magna chori.  
 Te, quoties N I C R I montes conſcendimus altos,  
 Voluimus in membris pectore, & ore P A T R E M.  
 Te, quoties R H E N I rapidas ſpatiamur ad vndas,  
 Dignum laude Virum noſtra Thalia canit.  
 Antè diem occiduis vndis vehet Hesperus; antè  
 Lympha dabit flammâs, & dabit ignis aquas:  
 Quàm tuus è noſtro labatur pectore vultus;  
 Quàm tua noſter Amor fata filere queat.



ΕΡΙΤΑΡΗΙΥ Μ  
ΕΙΥΣ ΔΕ Μ.

**Ε**Νθάδε σῶμ' ΑΜΑΙΓΓΟΥ ἔχει ἄμπαυμα μερμνῶν,  
 Κόσμου ἕως ἐλθεῖν ἔχατον ἡμαρ ὄλα.  
 Τοῦτο ΧΡΙΣΤΟΣ ἕπερ πολύχαλκον θήπει Ὀλυμπον  
 Ἐνθ' ἐνὶ χάρμασ' αἰεὶ σὺ μακάρεσσ' ἔσεται.  
 ΑΜΑΙΓΓΟΥ ζῶντος καὶ ζῆν ΚΑΛΒΙΝΟΣ ἄριστος,  
 ΟΥΡΣΙΝΟΣ Ἴ ἐδόκει ἐν μερόπεσι βροτοῖς.  
 Κῦδος τῶν μυσῶν μέγα ὤλετο, καὶ μέγα ἔρκος  
 ὤλετ' ἀληθείης ὑμμι παρ' ἔρανίης.  
 Εἰδέπιδ ἐστὶ πάρος τῆς Ευσείης τε, δίκης τε  
 Ὅτι μὲν ἈΜΑΙΓΓΟΣ μῶνος ὄγ' ἦε, ῥοει.  
 Ἐν δόξῃ τόσος ἦν, ἡδη ὅσος ἦν ὁ ΜΕΛΑΓΧΘΩΝ  
 Ἦν ΛΟΥΤΗΡΟΣ ὅσος, ΒΕΡΜΙΛΙΟΣ τε ὅσος.  
 Μαρυρέει παρὶ τῶν δ' ἕπομνήματα ἀνέρος ἐσθλά,  
 Γαῖα τε ΑΣΚΑΝΙΔΩΝ ἔυφορος ἡγεμονή.  
 Ὅσ' ἰν' ἀμπαύωντ' ΑΜΑΙΓΓΟΥ ἔυχου ὀδίτα  
 Ὀλβίς ἐν βιότῳ, Ὀλβίς ἐν θανάτῳ.



ΕΤΕΟΣΤΙΧΟΝ

ejusdem Autoris.

LVX VbI CaL. JVnI ter q VInta refVLget Eoo,  
 OCCVpat AMLIngVs Vasta theatra poLI.

Vel sic:

FaX VbI CaL. JVnI CœLIs ter q VInta reLVXIt,  
 AMLIngVs petllt regla teCta poLI.

F I Ν I S.

78. 93.





*Id 4212.  
8.*


**ULB Halle** 3  
002 391 589



*So*

*Me*  
*vom*







Inches  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

A  
ENDI, CLA-  
IMI, DEQUE  
ERITI VIRI,

GANGI  
HEOLOGIAE  
LEBERRIMI,  
SERVESTANOS  
usq; Diocesanos  
igilantissimi,  
dissimè obdormiuit  
horâ vesp. 5. Anno  
n vixisset annos  
Maij, in ma-  
cæmeterio,  
observantiæ causâ,

T A à  
CRAME-  
NO ANHAL-  
l. St.

R G A E,  
Lancelloti,  
raphi.  
Islij  
hl, Cras tibi.

*Humanis. et dot.  
viro Dni. M. Pet.  
Jann. videri Subri  
Rectori, amico suo  
mo offert auctor.*

*107*  
*108*